



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Rogerij Bolbett, Ioannis Columbi, Thomae Martialis, Ioannis Bustardi. n. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

esset; sed lucis huius vsuram parienti mors eripuit priusquam fetus formari ad lucem posset; quanquam octogenario seni non tam animi, quam anni defuere, quibus aliorum diligentia in simili opere iam euulgatae colophonem imponeret.

XX. In indicibus Belgij quatuor alios reperio operam vitamque cum laude doctrinae & pietatis Duaci posuisse: Nam *Rogerus Bolbett*. Staffordiensis, cum post decem fere annos in Societate expletos, se obsequio infectorum in ea Ciuitate deuouisset, & magna cum animi voluptate Sacrosanctam Eucharistiam atque extremam vnctionem morientibus administraret, tunc tandem ipse correptus est. Tum ubi in brachiis sparsas aspexit contagionis notas, eas tanquam Dei in se beneuolentiae pignora exosculans, munitus ad iter extremum Ecclesiae Sacramentis, post vota Religionis pie repetita, Sanctissimum *Iesu* nomen inclamans, animam Creatori reddidit, secundo Septembris, Anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi. tantam apud omnes opinionem Sanctitatis, ut Ciues Duaceni monumentum quod solo extaret, sumptu communi, ad futuram eius memoriam, erigere cogitarent. *Ioannes vero Burstardus* Oxoniensis anno aetatis vndeagesimo admissus Louanij, peractis probationibus Metaphysicam explicandam confestim accepit; deinde emensis feliciter Theologiae spatiis, Duacum translatus, Philosophiam ab ovo exorsus est tradere; sed mors praecox ingenium intulit Caelo, antequam vel annum in ea tradenda disciplina, vel aetatis suae vigesimum septimum expleret.

Thomas Martialis Sacerdos, Philosophiae & Theologiae laurea decorus, Societate inuit Louanij. Tum Duaci nouem annos Philosophis elucidandis infumpfit; Romam deinde vocatus ad munus Confessarij in Anglorum contubernio, non diu super fuit, nam morbo oppressus, cum ad opportuniorem curationis remedia in Collegium Romanum fuisset delatus, emissa quatuor votorum Professione, pie animam efflauit, vndecimo calendas Augusti, Anni 89. supra sesquimillesimum Fertur moriens cum Crucifixi complecteretur effigiem frequenter in haec verba prorupisse: *Quid sunt, o bone Iesu, haec vulnera tua, nisi peccata mea?* Denique *Ioannes Columbus* Deuonienensis, anno vigesimo sexto aetatis ingressus Societatem Louanij, Duaci deinde confessionibus Anglorum in Seminario praefectus est, & habuit de Superiori loco conciones ad annum octogesimum secundum, quo diem clausit extremum, decem in Societate annis expletis.

XXI. Vidimus etiam Duaci Patrem *Thomam Coniers*, qui post acceptam Philosophiae lauream, in Societatem cooptatus Tornaci, anno octogesimo quarto; post humaniores literas, logicamque Duaci traditam; post Lendium, Bapalmiamque, in finibus Gallorum, improbo labore excultum; postque alia Societatis munia; tum Romae anno sexcentesimo, tum deinde in Belgio obita, *Dionanti* Eburonum demum fixit sedem Apostolico ritu villas pagorumque & vastam Arduennae solitudinem percurrens, egentissimorumque hominum sitientes animas Christianae doctrinae riuus tam indefesso labore irrigans,

Rogerus
Bolbett.

vid. Zac
chinum p.
3. Historiae
Societatis
l. 8. n. 228.

Ioannes
Burstard.

Catal. Lo
uanij A. 70
& Duaceni.
An. 76.

Thomas
Martialis
Catal. Au-
domarense
An. 84.

Ioannes
Columbus

Thomas
Conuers.